

APPROBATIONES

THOMAS PHILIPPUS.

TIT. S. CÆSAREI S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS DE ALSATIA,

*Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis,
Primas Belgii &c.*

Quam tandem apud omnes benè Catholicos, editis jam tribus egregiis voluminibus, laudem consecutus est Author Operis, cui titulus *Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata*, eam modò titulis omnibus promeretur, dum tomo hoc quarto cæteros Paschafii Quæsnelli perniciosos errores eâdem, qua priores, methodo, eâdem eruditione, & argumentorum soliditate convellit, ut nihil intactum inter centum, & unam Damnatas propositiones relinquat, quod non nervosissimè ad universæ Jansenianæ perversitatis confusionem refutatum sit; interim Constitutionis æquitate atque omnimodâ necessitate invictissimè stabilitâ. Causa pridem apud morigeros Ecclesiæ filios finita erat; exorti tamen refractarii, velum rebellionis obtendentes, explicationes postulare ausi sunt, quibus abundantissimè satisfecit eruditissimus Scriptor. Quid igitur reliquum est, nisi ut finito tandem etiam errore, ad unitatem orthodoxam postliminio redeant Protestantes & Appellantes, aut si receptâ Ecclesiæ praxi ad Matris gremium compelli nequeant, a communione Catholicæ segregati penitus rescindantur? Hunc præclarissimæ lucubrationis, quam absolutam Authori gratulari possumus, fructum speramus, atque adeò quartum hoc volumen æquè ac præcedentia, nostro suffragio approbata, luce publicâ dignissimum censemus.

Datum Mechliniæ die 1. Mensis Martii 1724.

Tho. Cardinalis de Alsatia.

De mandato Eminentiss., ac Reverendiss. D. Cardinalis Archiepiscopi

A. C. de Smet Secretarius.

A P P R O B A T I O

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D.

THOMÆ JOSEPHI A MONTIBUS

*Nuper Archiepiscopi Seleucie, domestici Sanctitatis Sæ Prælati, Solii Pontificii
Episcopi Assistentis; Goram Sanctissimo D. N. Episcoporum Examinatoris;
Supreme Romanæ Inquisitionis, & Congregationis Sacrorum
Rituum Consultoris; Episcopi nunc Ovetensis, ad Episcopatum
Carthaginensem & Murciensem nominati, Regiæ
Catholice Majestati à Consiliis.*

Exulto satis, & superabundo gaudio, uberesque Deo grates refero, quòd felix admodum mihi fors obtigerit perlegendi simulque demirandi non tantum tres priores, sed & hunc quartum Tomum *Constitutionis Unigenitus Theologicè propugnatae*: opus videlicet jam absolutum, & ad rectum usque, ut ajunt, fastigiumque perductum; cui meritò inferibi possit illud Ezechielis: *Faciès Aquilæ desuper ipsorum quatuor*. Sanè cum totius hujusmodi lucubrationis unus idemque sit Author R. P. Jacobus Fontana Soc. Jesu dignissimus Alumnus, quòcumque ingenii sui acrisque judicii oculos convertit, semper *Lustrat universa per circuitum*, semper, ut verbis utar Cassiodori, verum à falso discernit, & per diversa discurrens, semper æqualis incedit. Mirâ præterea dexteritate, parique utitur energiâ in refutandis Perduellium erroribus; præsertim ubi palam ostendit, Pontificiam *Constitutionem Unigenitus* ad sui robur & inconcussam auctoritatem, nullatenus indigere Congregatione Synodi; cum, præter adductos sæpius Ecclesiæ Doctores & Lumina, à nobis etiam stent Augustinus, & Petrus Damiani; Unus, qui contra epistolas Pelagianorum lib. 4. cap. 12. sic ait: [Quid est ergo quod dicunt de simplicibus Episcopis sine Congregatione Synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? Numquid Beatissimis, & in Fide